



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XVI. Rvpertvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

vacula nunc miserentis, nunc punientis Dei testimonia. Lucrum capiant Heterodoxi aliterum, quo discant deinceps credere miraculis, at non tantum sibi, sed & mihi faventibus.

XVI. RUPERTVS.

Rupertus Hattonis successor, cuius originis aut stemmatis foret, inquisiverunt cum Serario authores varij; aliud tamen non invenerunt, quam obscura & dubia omnia, inter quæ numerandi sunt etiam anni sedis, quorum alij 4. alij 7. computarunt. An. 977. diem obiisse suum verior habet opinio, dum nimirum Romæ sedit Benedictus VII.

PERIODUS III.

DE ARCHIEPISCOPIS SIMVLQVE ELECTORIBUS MOGUNTINIS.

XVII. WILLIGISIUS. ELECTOR I.

Willigisius Stromingæ in Saxonia seculo X. circa añum 40. ex parentibus tenuis fortunæ natus, literarum studiis & morum probitate, quæ sæpe pauperibus ad ardua viam sternunt, eò sensim ascendit, ut ex Parocho aulae Imperatoriae Archifacellanus, ut vocant, & Ottoni III. à teneris annis supremus moderator constitutus, ob insignia sua merita sit denique promotus in geminum Moguntiaë thronum, an. 977. electus Archipræful & an 998. Imperij Elector primus, ita disponenre Gregorio V. Pontifice & Ottone III. Cæsare, quòd hic hærede se destitutum, & Imperium ex hæredum defectu prioribus seculis fuisse turbatum probè intelligeret, & admodum doleret. Antequam verò hunc ultimum dignitatis apicem conscendit, D. Bervvardum Hildesiaë consecravit Episcopum, & paulò post S. Adelbertum Pragensem Archiepiscopum. Monasterio Hersfeldensi Præsulem dedit Gotthardum; sorores verò Augustas Ottonis III, Sophiam & Adelhaidem